



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 3. Concilia in Africa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

meni, ut Domini Nostri Præcepta, & Episcopi Doctrina non solum a Fidelibus, sed etiam a Catechumenis, a Pœnitentibus & ab omnibus illis, qui ab Ecclesia separati essent, audiri possent. Etenim aliqui hac via convertebantur.

Sæculum VI.
A. C. 524.

C. I.

§. III.

Concilia in Africa.

Sub ejusdem anni 524. finem celebratum est Concilium Juncæ in Africa in Provincia Bizacena, cui S. Fulgentius tanquam Episcopus Ruspensis interfuit.

Tom. 4. p. 1627. vit. S. Fulg. c. 29. n. 59.

Ex Episcopis aliquis, cui Nomen QuodvultDeus, conquestus est, quod sibi Fulgentius præferretur; at omnes Patres pro Fulgentio steterunt. Tunc quidem S. Fulgentius tacuit, ne Auctoritati Concilii adversari videretur. Cum vero adverteret, illum Episcopum hac re admodum affligi, timens ne Charitas læderetur, in quodam alio Concilio posteriore, Suffete (*) celebrato, publice Patribus suppliciter accedit, ut Episcopum QuodvultDeus sibi præponerent, quod Episcopi

Cc 3 copi

(*) Suffetes Livio sunt Judices Carthagenenses. Lib. 28. *Suffetes eorum, qui summus Pœnis est Magistratus.* & Lib. 34. *Cum Suffetes ad jus dicendum consedisent.* Hinc credibile quemdam Carthagine locum id Nominis retinuisse.

Sæculum VI. copi ipsius humilitatem admirati con-
 A.C. 525. cesserunt.

*tom. 4. Cont.
 p. 1630.*

Bonifacius Episcopus Carthagenensis
 in illa Civitate Concilium Generale ex
 omnibus Africae Provinciis convocavit.
 Hujus rei causam indicat in Epistola ad
 Missorem Numidiæ Primatem data; Pa-
 cem in Ecclesiam Africae post tam di-
 ram & diurnam Persecutionem redu-
 ctam intus turbari ab aliquibus Episco-
 pis Præpositis suis refractariis. Misso-
 rem ergo rogat, ut ex sua Provincia
 mittat Episcopos tres Firmum, Marianum
 & Felicem, qui in defendendis Ecclesie
 Carthagenensis Prærogativis se adjuvent.
 Non rogat, ut ipse veniat, quod ipsum
 gravi Senectute impediri sciret. Pro
 antiqua consuetudine ipsum certiorum
 facit, Pascha tertio Calendas Aprilis id
 est 30. Mart. in quem diem anno 525.
 incidebat, esse celebrandum. Mittit
 quoque Episcoporum mortuorum Indi-
 cem, & nomina eorum, qui mortuis
 successerant, quod etiam Theophilus A-
 lexandrinus in suis Epistolis Paschalibus
 fecisse legitur.

*Sup. l. XXI.
 §. 2.*

Postquam Provinciarum Legati ad-
 venerunt, Episcopi universim sexaginta
 Carthagine in Aula secreta Ecclesie
 S. Agilci Martyris quinta Febr. anno se-
 cundo Regni Hilderici id est anno 525.
 congregati sunt. Bonifacius initium
 dicendi

dicendi fecit, agens Gratias Deo, quod ^{Sæculum VI.} Pacem Ecclesiæ dedisset, & jam Episco- ^{A. C. 525.} pis tanto numero convenire licuisset.

Episcopi maximum gaudium profitebantur, quod Ecclesiæ Carthaginiensi Dignum Pastorem præesse cernerent, postquam Sedes tam diu vacasset, hortabanturque, ut Aurelii Antecessoris sui Exemplo Canonum Auctoritatem tueretur. (*) Tum Bonifacius Litteras suas Episcopis Provinciæ Proconsularis, Tripolitanæ, & Numidiæ prælegi jussit, nam ex his tribus Provinciis Legati aderant. Ex Mauritania Cæsariana unicus aderat; ne plures venirent bellum prohibuerat. Ex Provincia Sitifiensi Optatus Carthaginem venerat, sed tunc ob Regis mandatum aberat. Itaque Bonifacius de sola Provincia Byzacena que- rebatur, quod Liberatus Primas non adesset, quamvis binas ad ipsum dedisset Epistolas. Rogabant eum Episcopi ut Liberatum usque in diem alteram expectaret. Verum ipse recitari jussit Canones, in quibus Ordo Provinciarum Africæ definiebatur. Lectum etiam Excerptum aliquod ex Concilio prima Ma-

C c 4

ji

(*) Id non ita accipiendum, ac si toto temporis spatio nullus Episcopus fuisset. Nam, ut superius vidimus, interim S. Eugenius, etiam in Exilio, Episcopatum gessit.

Sæculum VI. ji anno 418. celebrato, unde dispiciebatur, Provinciam Proconsularem esse ordine primam, seu Carthaginensem, secundam Numidiæ, & tertiam Byzacenam.

Sup. L. XXIII.

S. 49.

To. 2. Conc.

p. 1667.

to. 4. p. 1635.

Ut præprimis Fides stabiliretur, lectum est Symbolum Nicenum secundum Exemplar olim ab Attico Constantinopolitano transmissum, & omnes Episcopi edixerunt; quicumque huic Symbolo non subscriberet, pro Catholico haberi non posse. Postea ad docendos juniores Episcopos legi jussi sunt aliquorum Conciliorum Africae Canones de variis Disciplinæ Articulis tractantes. Sub Aurelio solo viginti Concilia celebrata recensentur. Tum speciatim de Privilegiis Ecclesiæ Carthaginensis agi coeptum, & jubente Bonifacio hac super re Canones lecti. Primo lectus est Canon Nicenus, in quo generatim de Privilegiis Majorum Cathedrarum agitur, & deinde quorundam Conciliorum Canones, quibus Ecclesiæ Carthaginensis Majoritas super omnes Ecclesias Africae demonstratur. Inter cæteros lectus est Canon Concilii Hipponensis, quo singulis Provinciis Primatem suum habere permittitur, ita tamen, ut Ecclesiæ Carthaginensis Majoratum agnoscant. His actis, cum nox ingrueret, reliqua in diem alterum dilata, & Episcopi sexaginta illius diei

p. 1637.
v. Sup. L. XXIV. §. 10.

Nicen. can. 6.
Sup. L. XI.
S. 20.

p. 1640.

Actis

Actis subscribere. Januarius Mascula-
 nus unus ex Numidiæ Legatis non sua
 sed alterius manu, quia senectute debilis
 erat, subscripsit.

Sæculum VI.
 A. C. 525.

§. IV.

Exemptio Monasteriorum.

Altera die sexta Febr. 525. Episcopis in
 eodem loco congregatis Bonifacius
 dixit: *In Collatione besterna, quæ nos pe-
 ne usque ad Vesperum distinuit, omnia,
 quæ ad utilitatem communem Ecclesiarum
 spectant, ordinata fuisse puto. Hinc
 transeundum nobis est ad Causas privato-
 rum.* Gaudiosus Diaconus dixit: *Pe-
 trus Abbas cum aliquot Senioribus sui
 Monasterii ad fores stat, & petit audiri.*
 Bonifacius dixit: *ingrediantur.* Admis-
 si Libellum tradiderunt contra Libera-
 tum Primatem Byzacenum, atque ut eo-
 rum Causa clarius intelligeretur, jussit
 Bonifacius legi omnia Acta ad eam per-
 tinentia, quæ ex Tabulariis Ecclesiæ Car-
 thaginensis fuere exprompta. Res vero
 ea ita se habebat; Quidam Monachi ex
 diversis Africæ Regionibus imo & ultra-
 marinis convenerant, Monasterium in
 Provincia Byzacena fundaturi, illudque
 propinquorum suorum aliorumque pio-
 rum Fidelium auxilio ædificarunt. Mo-
 nasterium Ecclesiæ Carthaginensis imme-
 diate subjecerunt, & electo sibi ex gre-

p. 164r.